

*De rectificatione metarum similiter Articulus superinde editus renovatur.*

### A r t i c u l u s 56.

§. 1. Loco autem illorum Commissariorum, qui medio tempore vel decesserunt, vel usque tempus Commissionis decederent, aut forte abesse deberent; Dominus Comes Palatinus et in Sclavonia Dominus Banus alios deputandi habeat autoritatem. \*)

FERDINANDI II. IMPER & REGIS DECRETUM II. ANNI 1625. ARTIC.  
POST CORON.

*Dica seu contributio in duos Annos decernitur.*

### A r t i c u l u s 8.

§. 3. In Sclavonia tamen et Turcis dedititii dimidium praestabunt.

*Honorarium noviter coronatae Regiae Majestati offertur.*

### A r t i c u l u s 9.

§. 1. Turcis tamen subjecti et Sclavonia medium de singulis Portis florenum praestabunt.

*Pro rectificatione et reambulatione metarum cum vicinis Provinciis instituenda  
Commissarii nominantur.*

### A r t i c u l u s 23.

§. 5. Inter Croatiam ab una, parte vero ab altera Styriam et Carinthiam usque ad Mare; Reverendissimus Dominus Petrus Domitrovith, Episcopus Zagrabiensis: Item Spectabilis ac Magnificus Dominus Comes Christophorus Bánffy: Magnificus Casparus Konsky: Egregii; Magister Stephanus Patachich, Protonotarius Regni Sclavoniae: Gregorius Petthö: Thomas Mikulich: Nicolaus Tompa: Directore causarum Regalium; vel ejus loco uno ex Protonotariis nomine Fisci, ubique praesente.

*Subsidium pro stipendio Conservatorum Coronae Castellanorum et militum stipendiariorum qualiter contribuendum, erogandum?*

### A r t i c u l u s 28.

§. 1. A Portis autem in Sclavonia et Turcis subjectis dimidium solvatur.

\*) Urgetur et Comissarii denominantur; An. 1625. a. 23.